

CAPUT I  
quod nominis exhibet  
rationem.

**U**lm sapere non videantur, qui neglectà nominum & verborum ratione statim in ipsa rei penetralia tendunt, præmittere reali definitioni nominalem non erit inconueniens, à nominibus enim pervehimur in rei perceptionem, monente *Scaligero Exerc. 1. sect. 1.* Cui adstipulatur *Epicætetus tom. 1. dissert. Arrian. cap. 17.* Nominum disquisitio est doctrinæ principium.

VOCITATUR ergò præsens affectus in genere *Fluor muliebris*, dicitur & *Fluor albus mulierum*, non ea quidem ratione, ac si hoc perpetuæ esset veritatis, quod alboris notam acquisierit; nam pro ratione humorum varietates colorum exsurgunt, de quibus suò locò dicemus: quia tamen ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ, & in plerisque mulieribus deprehenditur albus, à Latinis ita indigitatur, teste *Sebitio tom. post. de aff. mul. cap. X.*

*Græci* hunc affectum appellant ῥῆν γυναικείον, fluxum muliebrem, asserente *Vido Vidio lib. 11. de curat. membr. cap. 29. Mercurial. de morb. mul. lib. 4. cap. 6.* sive ῥῆν τῆς ὑτέρας, fluxum uterinum, confirmante hoc *Sebitio l. c.*

Ipsa quod concernit nomina, eorumque originem, ῥῆς contractè positum est pro ῥόϑ, quod à verbo ῥέειν deducitur, & idem est ac fluo, diffluo; γυναικείον verò ἀπὸ τῆς γυναικός, à muliere, quod solæ istæ tali fluxu sint obnoxia, & ipsis per muliebria talis vitiosa materia profluat.

Altera affectus appellatio Græca fluit à ῥέειν καὶ ὑτέρας, ab utero, quòd hic fluxus suum transitum habeat per uterum. Καταμήνια λέγουσιν *Hipp.* ac *Galeno* sparsim & *Philos. 3. de hist. anim. c. 19.* audiunt.

Atten-